

illa inprimis, quæ habetur v. 6. ubi lingua in reliquis membris constituta igni materiam inflammanti comparatur, neque ὅλον τὸ σῶμα, ibidem commemoratum, aliud notare potest, quam *corpus humanum*, æque ac v. 3. *corpus equi*. Maneat igitur B) σῶμα h. l. *corpus proprie sic dictum*, cujus pars seu membrum est lingua, ut sensus sit: Qui linguam suam regere novit, potens est, regere etiam reliqua membra & totum corpus, & omnes suas actiones; conf. Matth. VI, 23. ubi pariter *membrum* corporis, *oculus*, & *totum corpus* sibi opponuntur, per *totum corpus* vero totum systema actionum externarum intelligitur.

§. VI.

v. 3. 4.

Ἰδοὺ τῶν ἵππων τὰς χαλινούς εἰς τὰ σώματα βάλλομεν, πρὸς τὸ πείθεσθαι αὐτοὺς ἡμῖν, καὶ ἔλον τὸ σῶμα αὐτῶν μετάγομεν. Ἰδοὺ, καὶ τὰ πλοῖα, τηλικαῦτα ὄντα, καὶ ὑπὸ σκληρῶν ἀνέμων ἐλαυνόμενα, μεταγεται ὑπὸ ἐλαχίστου πηδαλίου, ὅπου ἂν ἡ ὁρμὴ τῆ ἐυθύνοτος βούληται.

ἰδὲ) Variis lectionibus adfecta est hæc vocula:
 a) ἰδὲ, ecce, habent Erasmianæ Editiones, & ex
 Msc. Codd. perpauci remanent, quos ita habere
 firmiter statuamus, iudice BENGELIO in *App. Crit.*
 & in *Gnom. ad h. l.* videtur illi hæc lectio ex v. 4.
 & 5. huc traducta esse. b) εἰ δὲ, si autem, habet Cod.
 Alex. cum 10. aliis, & versio Vulgata tam prisca
 quam Hieronymiana, nec non Coptica & Arabica,
 itemque e PP. *Euthalius* & *Oecumenius*; Atque hanc
 lectionem GROTIUS quoque ex Cod. Alex. suam
 fecit, MICHAELIS vero in *NN. ad Benson.* studiose
 tuetur adversus WOLFIVM in *Cur.* qui illam rejicit,
 quoniam ad seriem orationis prorsus non quadret,
 cum apodosis non sequatur; Recte illi regeritur
 α) quod amore receptæ scriptionis lectionem dam-
 net, cujus tamen idonei testes dari possint; β) quod
 apodosis existet in fine comm. si in hoc hemistichio:
 και ὅλον-μεταγομεν, το και facias particulam ἀποδοτικην,
 veritasque: tum illorum corpus circumagimus; Imo
 id ipsum huic lectioni favere videtur, quod paulo im-
 pedior nec lectori facile obvia sit, sec. legem criti-
 cam BENGELII in *App. cr. p. 384. §. XXI.* Est

vero etiam c) lectio *media* inter *ιδε*, *ecce*, & *ει δε*,
si vero, scilicet *ιδε*, *vide*, quod est ao. 2. imp. ab
ειδω, *video*, & legitur Jo. I, 29. XII, 19. XVI, 29.
 Atque hanc lectionem BENGELIUS, maxime ob id
 ipsum, quia *media* est, in textum recepit, faventibus
 etiam 8. codicibus, & Editione Complutensi cum
 suis auctoritatibus; ac sane melior est, quam illa *ιδε*,
 quæ perpaucis admodum codicibus nititur; nec ob-
 stat, quod in sqq. bis legatur *ιδε*, cum & alibi unus
 Scriptor utrumque, & *ιδε* & *ιδε*, habeat, idque in
 brevi sermonis tractu, vid. cc. II. Jo. XII, 15, 19.
 XVI, 29, 32. aliam rationem a differentia vocis
 utriusque dabit BENGELIUS in *Gn. ad h. l.* Melior
 quoque est, quam illa *ει δε*, *si vero*, si enim vel ma-
 xime ponamus cum *Cel. MICHAELIS*, conditionalem
ει apodosin suam habere in *και*, *tum*, non tamen
 quadrat adversativa *δε*, pro qua potius dici debuisset
γαρ, cum Apostolus v. 3. & 4. probet, quod in fine
 comm. 2. dixerat: qui linguam sciat regere, eundem
 & regere posse totum corpus. *των ιππων τες χαλινας*)
 Videri possent verba sic ordinanda fuisse:
ιδε τες χαλινας εις τα σωματα των ιππων βαλλομεν
sed

sed observat BENGELIUS, emphaseos causa statim
 initio poni animal istud, a quo similitudo ducitur;
 Certe & v. seq. primo memorantur *naves*, deinde
 demum *medium* illas gubernandi. Hoc vult Apосто-
 lus: *Equus*, animal *ferox*, freno tamen regitur.
 Conf. loca profanorum in WOLFII *Cur. ad h. l.*
 εις τα σωματα βαλλομεν) uno verbo sic exprimeres:
 τας ιππας επισημιζομεν conf. Pl. XXXII, 9. προς το παι-
 δεσθαι αυτας ημιν) ut *obediant nobis*; παιδεσθαι alias
 proprie tantum de ratione prae dicitur, qui *per-*
suadendo flectuntur ad obsequium, hic vero etiam
 de brutis, uti verbum *υπακειν* Matth. VIII, 27. de
 ventis & mari, rebus inanimatis, usurpatur.
 και ολον το σωμα αυτων μεταγομεν) και hic valet και
 ουτως, uti C. II, 23. *init.* μεταγειν proprie significat *in*
transversum agere. Ore domito, paret *totum corpus*.
 V. 4. *ιδε*) nova similitudine ostendit Apostolus, sæ-
 pe *exigua* esse, quæ *res magnas* regant. και τα πλοια)
etiam naves; το και gradationem facit; *major* enim
 est *navium moles*, quam equorum; non ergo cum
 GROTIUS vertendum, *sicut*; de *vocula* ετω v. 5.
 quæ apodosin facere ad GROTIUM *sicut* videri posset,
 postea

postea videbimus. Τηλικαυτα ὄντα) tantæ magnitudi-
 nis & molis cum sint; Jam a PHILOPATORE, Rege
 Aegypto, navis fabricata fuit, magnitudine semi-
 stadii, latitudine cubitorum triginta & amplius, vid.
 GESNERI *Thef.* ad vocem THALAMEGVΣ. Καὶ ὑπο
 σκληρων ἀνεμων ἐλαυνομενα) & a sævis ventis cum agi-
 tentur; de verbo *minentur*, quod *Vulg.* hic habet,
 vid. DRVSIVS in *Cr. Angl.* ad h. l. σκληρος sævum
 quid notat, & cui vix resisti potest; ac de ventis etiam
 ab optimis Græciæ Scriptoribus usurpari, docet RA-
 PHELIVS in *Annot. Polyb.* p. 696. μεταγεται ὑπο
 ἐλαχιστα πηδαλιῳ) circumaguntur a minimo gubernaculo
 seu clavo. ARISTOTELES jam *Μηχανικων Lib. II.*
C. V. hoc phænomenon disquisitione sua dignum
 judicavit: δια τι το πηδαλιον, μικρον ὄν, καὶ ἐπ' ἐξατω
 τῷ πλοίῳ τοσαυτὴν δύναμιν ἔχει, ὥστε ὑπο μικρῆς οἰακῆς
 καὶ ἑνὸς ἀνθρώπου δυνάμειος, καὶ ταύτης ἡρεμίας, μεγα-
 λα κινεῖσθαι μεγάλης πλοίων, h. e. *cur gubernaculum,*
cum res exigua sit, etiam in extremo navis tantam vim
habeat, ut a parvo gubernaculo, & unius hominis vi, ea-
que sedata, magnæ navium moles moveantur? Ὅπως ἂν
 ἡ ὄρμη τε εὐθυνοτος βεληται.) Ὅρμην interpretes
 vulgo

vulgo exponunt *de voluntate dirigentis*, sed de *impetu* potius, navi a gubernatore impresso, accipiendum est; Consentit BENGELIVS, qui *hypallagen* statuit in his verbis, h. e. eam figuram grammaticam, qua voces ita transponuntur, ut uni tribuatur, quod tribuendum fuisset alteri, indeque hunc verborum sensum facit: quocumque vult regens seu gubernator, penes quem est *impetus*, seu, quocumque illi *impetum* dare voluerit regens.

§. VII.

v. 5.

Οὕτω καὶ ἡ γλῶσσα μικρὸν μέλος ἐστὶ, καὶ μεγα-
λαυχεῖ. Ἰδὲ, ὀλίγον πῦρ ἠλίκην ὕλην ἀνάπτει;

Οὕτω καὶ ἡ γλῶσσα) sæpe τὸ οὕτω apodosin facit, etiamsi in protasi nullum præcedat καθως, unde nec GROTIUS τὸ καὶ init. v. 4. debet exponere per sicut; conf. C. I, II. ubi in protasi pariter deficit τὸ καθως: quemadmodum contra in apodosi quandoque deficit τὸ οὕτω vid. GLASSII Phil. S. p. 1022. Μικρον μελος ἐστι,) pusillum membrum est in humano

E

cor-